

aliorum animalium est, quae per descensus proportionem ab eo procedunt, coelestium, naturalium, sensibilium. In quibus omnibus sint quaternaria haec principia, a primis abscedentia prout longius a primis proportionaliter descendunt. Ideo in anima quoque, quae haec omnia
 5 cognoscit, esse quaternaria haec principia sui discessus modo esseque in ea unitatem, ipsam mentem, quae cum sit impartibilis, simplici intuitu cognoscit intelligibilia. Dualitas vero in anima est dianoea. Haec enim est quae habet unde, quo, via quadam certa transiens a propositionibus ad conclusionem. Trinitas vero est opinio, quia haec excitata ad aliquid
 10 cognoscendum dubitat, veluti duplex illi via occurat an hanc vel illam ingrediatur, ac utrum affirmatio potius sit vera vel negatio. Quaternitas autem est sensus et phantasiae corporeae cognitiones corpori per quaternitatem significato correspondentes.^{xiii}

Eadem ferme a Simplicio Aristotelis itidem amico referuntur, nisi quod loco trium generum entium quatuor non in latum, sed in profundum statuere Pythagoreos affirmat genera: νοητά, ἐπιστητά, δοξαστά, αἰσθητά^{xiv}, intelligibilia, scibilia, opinabilia, sensibilia. Per quae omnia a supremo ad infimum permeare asserant haec eadem quaternaria formarum principia. Quae omnia
 20 commentariis suis in metaphysicos (quibus hodie caremus) a se clarius fuisse exposita testatur. Illud addens ad confirmationem eorum, quae superius contendebamus, Pythagoreos numeris secreto ac symbolice usos fuisse:¹⁹ Viri illi vulgares vias evitantes et in secretis tradentes, solis dignis philosophiam, aliis per mathematica eam
 25 ostendebant nomina. Hac de causa superius admonuerat:²⁰ Non enim oportet Aristotelicae historiae inniti, quia omnino solum appa-

¹⁹ οἱ δ' ἄνδρες τὰς λεωφόρους ἐκτρεπόμενοι καὶ ἐν ἀπορήτοις, μόνοις τοῖς ἀξίοις παραδίδόντες τὴν φιλοσοφίαν πρὸς τοὺς ἄλλους διὰ τῶν μαθηματικῶν αὐτὴν ἐνεδείκνυντο ὀνομάτων. [SIMP. in de An. 11.28.17 – 19]

²⁰ οὐ γὰρ δεῖ τῆ Ἀριστοτελικῆ ἐπερεῖδισθαι ἱστορία διὰ τὸ ὡς ἐπίπαν μόνον ἐκτίθεσθαι τὸ φαινόμενον. [SIMP. in de An. 11.26.13 – 15]

^{xiii} Latinski citat bez grčkog, osim na samom početku. Nastavni tekst grčkog citata je sličan, ali nije isti.

^{xiv} τὰ νοητά καὶ ἐπιστητά καὶ δοξαστά καὶ αἰσθητά. [Usp. SIMP. in de An. 11.29.13 – 14]